



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Auctarium. Sive Additiones Ad Viri Clarissimi Henr. Zoesii  
J.V.D. Universum Jus Canonicum**

**Geismar, Justus Moritz von**

**Coloniæ Agrippinæ, 1691**

Ad tit. VIII. de Conjugio lepros.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62259)

Pro testio casu requiritur, ut promissio sit acceptata, & uterque sciat alterum esse conjugatum; si enim vel alteruter ignoret, non irritatur, si quod postea in eatur conjugate mortuo, excusatque ignorantia quævis etiam facti. Sufficit autem si adulter dubitet, utrum tempore adulterii & promissionis de matrimonio cum adultero vixerit alter conjugax, quia præsumitur vixisse, nisi mors probetur.

Contrahens matrimonium cum muliere, quam polluit adulterio aut secundis nuptiis copulavit, adducta machinatione in necem viri, aut occiso conjugate animo contrahendi matrimonium cum illa, nulliter contrahit, Gonz. ad cap. si quis & l. t.

*Ad num. 2. adde.* Si adulteri alio sine, quam matrimonii conjugem trucident, v. g. ne prodantur, non est impedimentum. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 10. num. 2.

*Ad num. 3. adde.* Laym. ibid. n. 4. ait. Si fides data sub alio, & adulterium commissum sub alio matrimonio, non est impedimentum.

Item quod dicitur de promissione, ait: debet ea esse pura, vel ante mortem conjugis purificata, quia verba in penalibus strictè accipienda. Item n. 7. quod promissiones factæ vivo conjugate, quod contrahent eo mortuo, sint irritæ ipso iure, quia repugnant bonis moribus. arg. cap. 2. de concess. præb.

#### AD TITUL. VIII.

##### *De Conjugio Leprosorum.*

**A**d num. 2. adde. Si conjugale prolo immineat incontinentiæ periculū,

nisi conjugio utatur, volunt quidam, quod conjux ex lege charitatis obligetur cum periculo debitum reddere, sed verior sententia est contraria eum non obligari, cum nemo obligetur ad alterius peccatum vitandum proprii corporis periculo se exponere, cum is simpliciter in necessitate positus non sit, & alia concupiscentiæ remedia adhibere possit. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 3. cap. 1. num. 5.

#### AD TIT. IX.

##### *De Conjugio servorum.*

**C**ontra hoc, quod error personæ vitiet matrimonium. Dices: In administratione Sacramenti Baptismi, Confirmationis &c. Si minister putet esse personam aliam, Sacramentum tenet; ergo etiam in matrimonio. Negatur consequent. Quia, virtualis intentio ministrantis illa Sacramenta esse debet baptizandi præsentem ac capacem, qui cunque sit. Secus se habet in matrimonio. Laym. lib. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. n. 1. Nisi & contrahens eam habere vellet, qualiscunque sit. Sannius.

Inter Jacobum & Liam ab initio non fuit verum matrimonium, donec Jacob. de novo positivè consensit in Liam. Can. un. 29. q. 1.

Busenb. lib. 6. tract. 6. c. 3. dub. 2. hic notat non esse propriè servos, qui sunt coloni originarii, vulgò *Leibeigene*.

Matrimonium inter servos legitimè contrahitur etiam in vitis Dominis; sed si ingenuus per errorem ancillam ducat, vel è contra, conjugum nullum est.